Cracoviensis Studiós. Univ. Jag.
Promotiones Ord. Philos.
1608 Prid. non. Octob.

Valentinidis Jacobi. Epigrammata in honorem Nobilium et Ingenuorum IX Adolescentum etc.

D. O. M. A.

EPIGRAMMATA
In honorem
NOBILIVM ET INGENVORVM IX ADOLESCENTVM, DVM IN ALMA Academia Cracouiensi Prid. Non. Octob. Artium & Philosophiæ Baccalaurei renunciarentur.

IACOBVS VALENTINIDES OPATOVIENSIS cecinit.

CRACOVIÆ
Anno Domini M. DC. VIII.

PROSPHONEMA.

PEgaſides Muſæ veſtros ornate ſodales:
Et frontem lauro cingite Theſſálica.
Hi ſunt quêis primos Academia præſtat honores:
Et claris clarum donat habere locum.
Creſcite virtutes, celebri floreto iuuenta
Laude, cui Pallas donat honore frui.

DONARIVM PRIMVM STANISLAO MICHALOVICIO.

MActe animi, virtutibus aucte: dilecte Tonanti:
Plaudit Apollo tibi, Pieridumq; chorus.
Hincq; tuo festum resplendet vertice sertum,
Quod meruit virtus, ingeniumq; tuum.

ALIVD.

AGmē agis princeps, pulchræ (eia) præire cohorti
Est virtutis opus, parti & honoris amor.
Tu studiis addictus eras, vt vincere possis
Ingenio cunctos, & pietate pares.
Efficis, eximia virtute præire sodales
Vt possis, quêis nunc docta theatra crepant.
Ergo ritè prior tam claros sumis honores:
Ritè tibi Musæ, ritè & Apollo fauet.
Ritè tuo impositum collucet vertice sertum,
Quod meruit virtus, ingeniumq; tuum.
Es patriæ charus, charusq; parentibus ipsis:
Esq; Sophis charus, charus & ipse mihi.
Charus & ignotis fies, si tam benè cæptum
Ad finem medio tramite curret iter.

Altæ diſpereunt violenti fulmine turres:
Icarus in vitreis nomina preſſit aquis:
Dædalus effugit tutus, ſublatus in altum.
Ergo caue lapſu ne grauiore cadas.

DONARIVM II
CHRISTOPHORO FALECKI

VIribus ingeniipolles, & acumine mentis:
Non mirum: tibi nam docta Minerua dedit.
His iungo mores, quibus es decoratus abundè,
Ornat te generis cum probitate decor.
Ergo non pigeat totum te tradere chartis:
Ingenio vt volites docta per ora virûm.

DONARIVM III.
GREGORIO MALINOWSKI

INgenium mentem, ſed rara modeſtia vultum
Exornant, doctum myrthea ſerta caput.
Cætera quid memorem? ſunt hæc tua dona laboris,
Quæ tu pro meritis iam modò digna cape.
Sic ſolem tenebræ, doctum comitantur honores,
Præmia pulchra tuo parta labore vehis.

DONA-

DONARIVM IIII

STANISLAO SZYSTAWSKI.

CVM tibi gratantur præſtanti carmine Muſæ,
Et capiti imponunt laurea ſerta tuo.
Cur non ingenua quidquam componimus arte?
Materia eſt ſtudiis plaudere ritè tuis.
Quot frutices ſyluæ, quot flauas Tybris arenas
Mollia quot Martis gramina campus habet.
Tot mala paſſus eras ſtudiis incenſus honeſtis,
Laurea ſit Sophiæ iam medicina tibi.

DONARIVM V.

IOANNI FONTANO.

MVſarum cultor gaude Fontane: labore
Cum reliquis certans, laude tueris opus.
Ecce tibi vatum præſes reſonabile carmen
Concinit, & cythara perſonat Aonia.
Macte: tuis digni meritis redduntur honores,
Vt poſſis ſtudiis ritè vigere tuis.
Fælix Fontane es, tum terq; quaterq; beatus,
Torporem ſtudio frangere dulce putas.
Id tibi conſilii pleno de fonte miniſtrat
Pectoris excelſi, candor & obſequium.

 Eia

Eia age multiuagam coge ad cælestia mentem,
Laus doctum sequitur, vita beata probum.

DONARIVM VI.

ADAMO PASZKOWIC.

ORdine tu sextus, doctrina primus Adame,
Si dare iudicium par mea Musa potest.
Ingenio polles, naturæ dotibus auctus,
Vt virtute pares te comitentur opes.
Quod superest, res priuatas ad publica flecte
Commoda, sisq; memor nominis vsq; tui.
Sponte gradus alios celeri percurrito passu:
Crede mihi ingenio gratia grata venit.

DONARIVM VII.

IOANNI CWIKLINSKI.

QVid tuus effecit pallor? quid in ardua virtus
Contendens? laudi est non vitis ecce tibi.
Et tibi sunt faciles superi, paucis & egentem
Fortunam tribuunt per similemq; Sophis.
In studiis vires, animum quoq; ponis apertum,
Non rapiet laudes vis malesuada tuas.

Ingenio

Ingenio reparantur opes, reſerantur honores,
Dignum laude virum, Muſa vetatq; mori.

DONARIVM VIII.

IOANNI IANOWIC.

DOcta theatra tibi plaudunt, Phæbiq; ſorores
Dum curſum celeras per mare veliuolum.
Viciſti rabiem Syllæ, laudemq; tuliſti:
Improbus ille labor, cum tibi promeruit.

DONARIVM IX.

ADAMO RYCERZOWIC.

ORdine poſtremus, ſed non poſtremus honore
Cum medio finis namq; coronat opus.

ALIVD

INgenio quantum poſſis, ſuadæq; medulla
Si benè te noui, ſisq; quod antè mihi.
Quid locus iſte velit benè prouidiſſe ſagaci
Ingeniò pridem, te, mihi polliceor.
Non temerè in tantum conſcendis culmen honoris
Nam portum fælix proſpicis omniferum.